INNOCENTIO 12. PONTIFICI MAXIMO, NE DE TUMULO SIBI, UTI FACIT, EXTRUENDO...

Jean Commire

Digitized by Google

1072. 2

INNOCENTIO XII.
PONTIFICI MAXIMO,
NE DE TUMULO SIBI, UTI FACIT, EXTRUENDO COGITET.
RECONCILIATIS REGIBUS, ET PACATO ORBE NON DEFORE ILLI PERENNE MONUMENTUM.

ODE.

VERENDE Paſtor Regibus, & Deo
Nomen ſecundum : qui facili manu
Graves habenas flectis orbis,
Arbitrioque tuo recludis,

Claudiſque Olympum clave Petro datâ :
Quæ tanta vitæ te ſatias tenet,
Primos ut inter regni honores
Ipſe tibi properes ſepulcrum?

Urnæ, INNOCENTI, triſtis imagine
Augere luctus deſine publicos:
Et fata terrarum memento
Stare tuis religata fatis.

Vides ut immani ardeat undique
Europa bello. Mentibus efferis
In mutuam converſa cladem
Tela, faceſque ferunt dicatæ

Chriſto phalanges: non ſine Cælitum
Horrore, ſacras flagitiis domos
Eheu! profanatas nefandis,
Atque ſuos cineres querentum

Impunè ventis ludibrium datos.
Currunt in æquor ſanguine turgidi
Scaldiſque, Rhenuſque, & cruentis
Membra virûm laniata volvens

Iſter ſub undis. Jam, malè Sequanæ
Diſcors, laborat non reparabili
Incendio, expertus minores
Eridanus Phaëtontis ignes.

Urbeſne verſas, & viduos gemam
Agros colonis? ut mare, claſſibus
Stridens ſub ambuſtis, voraci
Gurgite ſorbuerit remiſtas

Nautis carinas? Nunc tumidis quoque
Vicina circum litora fluctibus
Portatur, in morem triumphi,
Naufragii miſeranda pompa.

Hæc irretortis luminibus juvat
Spectare, Reges? nec pudor eſt opem
Negare mundo jam ruenti,
Jamque ſuâ populos trahenti,

Et vos, ruinâ? Præcipitis gradum
Urgere fati parcite, publicæ
Si qua eſt ſalutis cura, pulſò
Longè odio, invidiaque triſti.

Vos ſaltem amicas jungite dexteras,
O certa Divûm progenies; quibus
Præ gloriâ, præ ſceptri amore,
Relligio, pietaſque cordi.

Quin ipſe dictis conditionib .s
Compone natos jure tuo pater.
Funeſta te pacem jubente
Arma cadent manibus volentum.

Nec Ludovicus, Marte licèt ſuo
Ubique felix, abnuerit prior
Comas triumphales olivâ
Poſthabitis religare lauris.

An fallor? Euris ecce jugalibus
Aſtræa puro labitur æthere,
Terraſque deſertas reviſit:
Quam niveum comitatur agmen

Concordia, & fas, & pudor, & fides
Ignara fraudum, grataque fauſtitas,
Gaudenſque profudiſſe cornu
Copia ruris opes benigno.

Quacumque curru ſe tulit aureo,
Bellum repreſſis conticuit minis:
Tortoſque poſt tergum revincta
Anguibus horriferis lacertos

Nequ
Unáqu ſupplicium pati
Damnata, Ditis ſe ſub umbras
Hæreſis, impietaſque condit.

Iſta, INNOCENTI, temporibus tuis
Miracla rerum maximus Arbiter
Debetque, præſtabitque. honorem
Hunc etiam meritis rependet,

Pacem ut tueri compoſitam, & diu
Felice Româ fas tibi ſit frui.
At poſtquam Olympo jam receptus
Auxeris indigetes beatos:

Tum pro ſepulcro quod ſtruis, alterum
Labore claro pyramidum altius,
Buſtoque Mauſoli ſuperbo,
Poſteritas tibi grata condet.

Ibi revinctus tergeminâ caput
Stabis coronâ, Regibus ad pedes
Utrimque proſtratis amorem
Præcipiens revocare priſcum.

Breviq

Miratus hoſpes perleget hun

Scribêre ſervati fuiſſe

Pacificus moderator orbis.

SANCTITATI TUÆ

Devotiſſimus JOAN. COMMIRIUS, S. J.

PARISIIS, E Typographia Viduæ GABRIELIS MARTIN, viâ Jacobæâ, ſub Sole aureo, 1692.

99 558533

MC